DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE
PLEURITIDE VERA.

Cum frequens valde in itineribus meis maritimis ſeſe obtulerit occaſio, obſervandi pleuritidem in nautis, qui per abuſum vini & ſpirituoſorum liquidorum, imprimis in portubus gallicis & hiſpanicis ſibi hunc morbum contrahere ſolent, anſam hanc, quam leges academicæ præbent, ſpecimen nempe elaborandi, lubens arripio, nonnulla de morbo, nautis tam frequenti & ſæpe funeſto, quantum quidem vires meæ permittunt, expoſiturus.

§. I.

Pleuritis generaliter conſiderata dicitur febris continua acuta cum difficili reſpiratione, & dolore acuto punctorio continuo & fixo in certa quadam pectoris regione.

§. II.

Variæ dantur morbi hujus *divisiones*, nempe:

1. *Pleuritis* esse potest vel *vera* vel *spuria*.

Vera est febris acuta cum inflammatione partium internarum thoracis, nempe cellulosæ pleuræ & musculorum intercostalium internorum, cum dolore punctorio fixo conjuncta.

Spuria plurimis medicis dicitur rheumatismus musculorum thoracis externorum cum febri continua. Rheumatismus hic esse potest vel inflammatorius seu calidus s. acutus vel serosus seu frigidus s. chronicus, qui imprimis etiam eo discernitur a vera pleuritide, quod dolor a pressione levi externa augeatur; jungitur simul utplurimum dyspnœa, & quandoque catarrhus pulmonum.

Alii etiam pleuritidem spuriam dicunt: dolorem punctorium ex consensu ortum, uti a flatibus, vermibus, cruditatibus, spasmis vel aliis levibus causis, ubi tunc vocatur *Pleuritis flatuosa* s. *ventosa*, *verminosa*, *spastica* &c.

Aliis Pleuritis vera est inflammatio lateris cnm dolore magno punctorio & diathesi inflammatoria, & *Pl. spuria* est catarrhalis, cum febri nempe catarrhali mitiori & symptomatibus levioribus. Nobis vero hic tantum de pleuritide vera sermo est.

2. Altera

2. Altera divisio est *secundum sedem inflammationis*: nempe habetur *Pleuritis lateralis* s. vulgaris & *dorsalis*, ubi inflammatio in mediastino posteriori sedet, & cui sæpe diaphragmatis & renum inflammatio jungitur, & *infera*, de qua HIPPOCRATES jam loquitur, quando dolor in inferiori pectoris regione circa costas spurias percipitur, hæc sæpe in hepate sedem habet.

3. Dein *ratione indolis* a quibusdam discernitur inter pleuritidem *benignam*, in qua medicamenta rite agunt, & quæ consueto decurrit tramite, & *malignam*, in qua venæsectio non juvat, sputa non levant, delirium debilitas magna, exanthemata & alia periculi signa adsunt.

4. Non minus divisio *ratione causæ proximæ* notari meretur, quo respectu habetur

Pl. *sanguinea Hippocratis* s. inflammatoria, in qua diathesis adest inflammatoria & plethora, signa vero colluviei primarum viarum deficiunt, systema nervosum bene se habet, ceterum vero morbus est vehemens. Hæc simpliciter vera est.

Pl. *biliosa*, quando cum dolore punctorio lateris signa simul colluviei biliosæ in primis viis manifesta adsunt, ubi venæsectio non, purgantia vero & emetica bene agunt, ubi crusta inflammatoria in sanguine deficit, serum vero flavum est, & quæ ab ebulli-

tione

tione a colluvie biliosa dependere videtur. Talis est *simpliciter biliosa*. Sæpe vero simul inflammatio jungitur, tunc est Pl. *vera cum biliosa colluvie complicata*.

Pl. *putrida* etiam observata est, & quidem hæc est vel *putrida simplex*, s. Pl. cum synocho putrida febri, vel sine impuritatibus p. v. biliosis, vel *putrida biliosa*, s. complicata cum saburra p. v.

Pl. *nervosa* vel cum febre lente nervosa conjuncta, in qua systema nervosum torpet, calor levis est, quæ lente & cum periculo magno decurrit. Pleuritis *phrenetica* vero febrem acutiorem nervosam comitem habet, & in ea systema nervosum valde perturbatum est, delirium & spasmi non superabiles adsunt.

5. Veteres Pleuritidem etiam distinguebant in *siccam* & *humidam*. *Illa* est, in qua nil vel parum exspuitur, & a Recentioribus pro vera pleuritide & solitaria, quæ cum pulmonum affectione non complicata est, haberi solet. *Humida* dicitur, in qua statim ab initio ad finem morbi usque aliquid expectoratur, in qua probabiliter pulmo simul læsus est. Interim divisio hæc minoris momenti est. Pleuritis quandoque ab initio sicca est, dein humida fit, & v. v. Ita sputum supprimi potest per diætam, regimen, curationem malam.

§. III.

§. III.

Præcipua vero & maxime memorabilis Pleuritidis veræ divisio est in *solitariam* & *cum peripneumonia complicatam*.

§. IV.

Pleuritis solitaria est, quæ sedem tantum in pleura & intercostalibus musculis habet, pulmones vero illæsos relinquit. Cognoscitur hæc sequentibus:

1. *Febris* adest *acuta*, quæ frigore incipit, tunc calor sequitur & sudor. Febris hæc in simplici morbo solet esse continua continens, sine ulla remissione, quandoque tamen, imprimis in corporibus minus robustis continua remittens est cum manifestis exacerbationibus, sub quibus dolor & calor increscunt.

2. *Dolor* in certa pectoris regione vehemens est, nempe hic esse potest in latere, in mediastino anteriori & posteriori, in diaphragmate, in extremitate pectoris superiori; utplurimum est in latere & frequentissime in dextro. Dolor est punctorius acutus i. e. vehemens in parva regione, crescit sub inspiratione, non ita, si exspiratur, nisi morbus sit valde vehemens. Si ægri manibus comprimunt vel cingulo pectus firmant, vel motum costarum quocunque modo impediunt, dolorem non sentiunt punctorium, sed tamen vehemen-

vehementem; hinc etiam cubare non ſolent, niſi in latere affecto, quia tunc latus hoc non vel minus movetur; hinc ægri etiam diaphragmate tantum reſpirare ſolent, ne coſtæ moveantur. Si profunde inſpirant, vel tuſſiunt, dolor fit acutiſſimus, ita ut præ dolore vociferentur, & quandoque convellantur. Quo major morbus eſt, eo major dolor.

3. *Tuſſis* vix unquam abeſt, &, ſi Pleuritis ſolitaria eſt, gravis quidem & ſicca eſſe ſolet, ſiccaque manere, quia ſine ſputis ſæpe reſtituuntur, ſi peripneumonia non accedat. Si deficit tuſſis, id ſæpe ex ægri labore & ſpiritus retentione fit, quia dolores a tuſſi augentur, tunc ſi vena ſecatur, & morbus decreſcit, tuſſis accedit.

4. *Pulſus* in Pleuritide ſolitaria febrilis & durus eſt, quamdiu morbus in cruditatis ſtadio eſt; in robuſtis corporibus ſimul etiam magnus eſt; poteſt tamen eſſe naturali minor, ſi ſpaſtica tenſio accedat. Si pleuritidi peripneumonia jungitur, quod ſæpius fit, tunc pulſus fit mollior, imprimis ſi libera eſt expectoratio, & dein plane fit mollis.

Ceterum ſubito ſine prodromis invadit, utplurimum hyeme, & tunc quidem morbus minus periculoſus eſt, quia vera inflammatio ſine colluvie bilioſa adeſſe ſolet. Quandoque homines ante morbum hilariores ſunt, & magis appetunt, quam ſolent.

§. IV.

§. V.

Pleuritis cum peripneumonia complicata vocatur *Pleuroperipneumonia.* Hic nempe ſimul cum pleura etiam contigui pulmones ipſi affecti ſunt.

Ut vero hic morbus probe dignoſcatur, prius peripneumoniæ ſigna, quæ a pleuritide ipſam diſtinguunt, breviter exponere placet.

In *Peripneumonia* nempe febris obtinet remittens. Reſpiratio brevis eſt & difficilis, utplurimum ſatis æqualis, cum in pleuriticis ſit interrupta. Dolor vel nullus eſt vel obtuſus, gravativus, tenſivus, pectus anguſtans, ægri certam pectoris regionem, quæ doleat, indicare nequeunt, totum enim pectus dolet, non lateris tantum regio; ſenſum habent, quaſi pectus contraheretur, vel grave pectori pondus ſuperincumberet. Anxii ſimul ſunt & valde inquieti. Calorem ſingularem in pectore ſentiunt, quare frigidum refrigerandi ſcopo amant potum & copioſum hauriunt. Pulſus utplurimum mollis eſt & parvus. Rubet frequentius facies, quam in pleuriticis, in ſummo morbi gradu & periculo vitæ facies pallet. Si unus tantum pulmo inflammatus eſt, gena etiam tantum unica rubet. Ex pectoris compreſſione & coſtarum motu intermiſſo ægri non levantur, uti in Pleuritide fieri ſolet.

§. VI.

Pleuroperipneumonia ſ. pleuritis cum peripneumonia conjuncta omnium frequentiſſime occurrit; imo quamplurimi medici pleuritidem ſemper eſſe cum peripneumonia conjunctam contendunt.

Decurſus hujus morbi eſt ſequens: Incipit frigore inopinato & qnidem magno, horrore, per dimidiam vel integram horam durante, tunc ſequitur calor ſenſim increſcens, magnus & æquabilis ſuper totum corpus; pulſus utplurimum valde magnus & durus, poteſt vero eſſe & fieri inopinato parvus, ſi reſpiratio valde impedita, dolores punctorii vehementes ſunt, æger ſpiritum retinet, ex ſanguinis per pulmones circulo impedito, ex ſpaſmo, qui ſyſtema nervoſum afficit; dolor lateris quandoque in frigore, interdum ſub calore accedit, tunc tuſſis ſicca, cephalalgia, nauſea, vomituritio imo nec raro vomitus urgent. Vires quandoque ſatis integræ ſunt. Aegri animo præſentes eſſe ſolent. Tuſſis ab initio ſicca, poſt aliquot horas, poſtquam potum ægri ſumſerunt tepidum, fit humida, & exſpuitur mucus, magis aut minus ſanguinolentus. Utplurimum ſtriæ ſanguineæ in ſputo obſervantur, idque melius eſt, quam ſi plane abeſt ſanguis. Si ſanguis æquabiliter cum muco mixtus eſt, malum. Si mox juvatur, ſputum ſanguino-

lentum

lentum minuitur; post aliquot dies sputum fit crassius & levans, tunc pulsus fit mollior, dolor minuitur, respiratio fit facilior, somnus melior, febris minor; febris conjuncta mox inflammatoria, non raro biliosa est, pro diversa nempe ægri constitutione & diversa tempestate, quo frigidius cœlum, eo magis inflammatoria esse solet, quo propius ver est, eo magis biliosa.

§. VII.

De *sede* morbi nostri valde disputatur. Veteres & Recentiorum multi, ex quibus HIPPOCRATEM, MORGAGNUM, HOFFMANNUM, TRILLERUM, TISSOTUM nominasse sufficiat, volunt in Pleuritide non pleuram, sed pulmonem esse inflammatum, quia nempe

1. pulmones in cadaveribus ex Pleuritide mortuorum semper inflammati reperti sunt;

2. pleura, si experimentis HALLERI & aliorum fides habenda est, plane insensilis est & nervis caret.

3. Methodus curandi eadem est ac in Peripneumonia, nempe per expectorantia & inhalationes vaporum non minus in Pleuritide, quam in peripneumonia juvatur.

Interim monendum tamen est:

a. In cadaveribus quandoque pleuram solam inflammatam fuisse, quod ex Cl. WENDT observationibus ex cadaveribus defunctorum pleuriticorum & peripneu-

moniacorum patet; ut non dicam inflammationem pleuræ facile in pulmonem contiguum transire, quare non mirum est, hunc simul inflammari.

b. Partes insensiles per inflammationem sensiles fiunt, & inflammatam fuisse pleuram non rara testantur exempla suppurationis & gangrænæ in pleura observata.

c. Curandi etiam methodum, periculum & decursum in Pleuritide solitaria & peripneumonia simplice valde differre negari nequit.

Utplurimum vero, uti jam diximus, cum pleura simul pulmo afficitur, & Pleuritis solitaria & simplex rarior occurrit, quare & in descriptione & curandi methodo huc respiciendum erit.

§. VIII.

Sæpissime specie sanos aggreditur, sine prodromis. Quandoque antecedunt dolor levis, tussis sicca, calor artuum naturali major.

Morbus septem dierum spatio decurrere solet; si mere inflammatoria est, quatuor diebus finiri potest. In constitutione ægri debili morbus tardior est, & septimo die in decrementum abit, decimo quarto finitur, si morbus gravis est, circa decimum quartum decrescit, & serius terminatur.

§. IX.

Crisis fit per sudorem & sputa, quandoque per sedimentum in urina; non raro natura etiam juvat per hæmorrhagias narium, hæmorrhoides, fluxum sanguinis ex utero, interdum in decremento per diarrhœam, quandoque etiam per exanthemata purpuracea, non raro per metastasin. Interdum inflammatio in alium locum transit, ita phrenitis oriri potest lethalis. Etiam suppuratio fieri potest, & gangræna.

§. X.

Causæ pleuritidis disponentes sunt solidorum robur & fluidorum spissitudo. Homines adultos, viros, robustos, plethoricos, qui diætæ lautæ & spirituosorum abusui indulgent, præ ceteris aggreditur. *Occasionales* sunt refrigerium, motus nimius, peregrinatio in frigore magno, ubi frigus nimium est ratione caloris, qui per corporis motum producitur. Si quis spirituosa copiose assumsit, & tunc refrigerium patitur, facile pleuriticus fit. Constitutio etiam epidemica huc pertinet. Retentio fluxus hæmorrhoidum, hæmorrhagiæ narium, menstruorum, venæsectio consueta intermissa, etiam animi alterationes & abusus aromaticorum multum conferunt.

§. XI.

In Pleuritide vero præcipue ad *febrim conjunctam* respicien-

respiciendum est, quæ quidem sub cœlo siccô & frigido *inflammatoria* esse solet, in multis vero regionibus utplurimum *biliosa* vel saltem cum impuritatibus primarum viarum conjuncta est. Pro ægri etiam diversa constitutione magis aut minus biliosa, imo putrida, & symptomatibus nervosis stipata esse potest.

Hinc divisio pleuritidis in *inflammatoriam*, *biliosam*, *putridam* & *nervosam*. Pleuritides sæpissime sunt inflammatoriæ & biliosæ simul, sed dantur etiam simpliciter biliosæ, & hæ sunt vel imputres vel simul putridæ.

Systematis nervosi perturbationes observantur imprimis in pleuritide simplice putrida, non biliosa, ubi nempe deliria & affectiones spasmodicæ junguntur.

Statim a morbi initio vix unquam dici potest, an sit mere inflammatorius nec ne; sæpe postquam pleuritis per aliquot dies duravit, signa primum impuritatum primarum viarum apparent, ubi tunc quidem per evacuantia, etiam emetica maxime juvatur, ita ut sæpe in tali Pleuritide biliosa venæsectione non opus sit; talis in locis calidis & vallibus sæpius occurrit, *biliosa simplex* dicenda.

§. XII.

Morbus finitur vel *resolutione*, qui exitus omnium exoptatissimus est, tunc symptomata cuncta minuuntur

tur & ſenſim evaneſcunt, ſanitasque redit integra.

Vel *translatione materiæ in alium locum*, imprimis pulmones, quod cognoſcitur ex doloris punctorii evanitione, dyſpnœa interim, & anxietate & inquietudine auctis, & ſupino decubitu difficiliori.

Vel *ſuppuratione*, quæ nunquam ante diem ſeptimum fit, quandoque circa decimum quartum. Suppuratio fit inter pleuram & muſculos intercoſtales, & dicitur abſceſſus ad coſtas, inde *aut* a) rariſſime, ſi unquam, fieri poteſt *Empyema*, pure nempe in cavum thoracis effuſo, exitu utplurimum lethali --- *aut* b) pus ex abſceſſu non aperto reſorberi poteſt, unde phthiſis, *aut* c) pus reſorbtum per alvum aut urinam educitur, *aut* d) abſceſſus per integros annos clauſus manet, in quo caſu æger quandoque ſatis bene ſe habere videtur, donec tandem abſceſſus rumpatur; *aut* e) abſceſſus externe protuberat, & rumpitur vel inciditur, ſelici ſæpius eventu, *aut* f) pulmonibus ſimul affectis vomica oritur, quæ dein diu clauſa manere & ſimiles, ac abſceſſus ad coſtas, effectus producere poteſt, vel rumpitur aut ſubito in aſperam arteriam, ægrumque inopinato necat, aut ſenſim in illam evacuatur, ubi tunc æger palleſcere ſolet, & difficulter reſpirare, & pulſus vacillare, oculi contorqueri videntur, vomituritio & tuſſis accedunt, & ſub his pus per os expellitur.

Suppu-

Suppurationis vero ſigna ſunt: Doloris maxima imminutio, dyſpnœa interim manente, anxietas, ſenſus ponderis in loco affecto, pulſus ſemper febrilis, horripilationes, exacerbationes veſpertinæ, ſudores nocturni, febris lenta, lingua naturali purior, genarum rubor (*Schwindroſen*), perdurantibus ſiti, vigiliis, appetitus defectu, & ſudoribus juxta claviculam & collum.

Vel *Gangræna*, quæ ſequentibus cognoſcitur: Inflammatio ſumme increſcit, dolor plane evanuit, reſpiratio difficillima eſt, debilitas maxima, ſputum ceſſat, animus deficit, pulſus intermittit, extremitates frigent.

§. XIII.

Prognoſis in morbo noſtro differt imprimis ratione morbi vehementiæ, ægri conſtitutionis, complicationis, præcipue febrilis, & ratione circumſtantiarum, an quidem ea, quæ ad curationem requiruntur, juſte fieri poſſint nec ne? Sibi relictus morbus ægros fere ſemper necat vel aucta inflammatione vel ſuffocatione. Ceterum cavendum, ne pleuritidem levem, cui forte peripneumonia magna juncta eſt, pro levi habeamus morbo, dolor enim levis ſæpe fallit. Quo major calor, quo intenſior dolor punctorius, quo difficilior reſpiratio, eo magis metuendum eſt. Si fœminas, ſenes, debiles, pueros invadit pleuritis vera, periculum majus, imo lethalis

thalis fieri poteſt, ſi conſtitutio valde debilis eſt & morbus magnus.

Ex morbi decurſu ad eventu mox concludere licet, ſi ſymptomata inter ſe conveniunt, ſibi reſpondent, ſe- & excretiones rite ſuccedunt, ægri ſenſationes juſtæ ſunt, ſymptomata ſpaſtica abſunt, medicamenta rite agunt, valde bonum.

Sputum, ſi mox ab initio accedit, melius eſt, quam ſi tarde; ſi ſtatim ab initio exſpuitur, morbus cito decurret. Si ſputum ante venæſectionem ſanguineis ſtriis tinctum eſt, bonum; ſi mere ſanguinolentum eſt, conſtitutio ſolet eſſe pituitoſa, tunc coctio non facile fit, neque venæſectio multum juvabit. Sputum mere cruentum, malum eſt, indicat vel ſanguinem nimis tenuem & hinc metuendam febrim putridam vel nimiam ſanguinis congeſtionem; poſterius tamen magis fauſtum eſt quam prius. Si ſanguis & mucus æquabiliter mixti ſunt, & ſputum nimis tenue eſt, tunc utplurimum cruſta inflammatoria in ſanguine miſſo deficit & curatio difficilior eſt.

Si ſputum per aliquot dies emanet, vel paucum eſt & mox deficit, periculum indicat, niſi pleuritis ſit ſolitaria. Si ſputa cito coctionis ſigna habent, morbus cito decurrere ſolet, & die 3. 4. finiri, ſi tardius, die

ſeptimo, nono, undecimo, ſi coctionis ſigna tunc deficiunt, ſuppuratio metuenda eſt.

Sputum coctum ex albo flavum eſt; facile cedens, quaſi ex loco dolente (ita videtur ægro) expulſum, bonum; viride vero, cœruleum, lividum, ſubnigrum, peſſimum eſt; hæc indicant humorum & viſcerum vitia aut vires naturæ debiles, ita ut morbus difficulter ſuperabilis ſit. Si ſputum purulentum eſt, puris ſaporem habet, & in aqua ſubſidet, tunc vomica adeſt & morbus fere ſemper lethalis. Si dolores punctorii magni ſunt & ſputum acre, tenue, aquoſum, & reſpiratio difficilis, tunc morbus periculoſus eſt, & pleuritis complicata cum catarrho. Si morbus per alias excretiones, diarrhœam, urinam ſimul minuitur, tum etiamſi parum exſpuitur, ſine periculo eſt.

Diarrhœa ante ſputa cocta oborta mala eſt. Si ſputa æquabiliter cocta apparent, bona habentur. Diarrhœa poteſt primarum viarum ſordes evacuare, humorum maſſam depurare, materiam ſputorum transponere, ita ut id, quod per expectorationem evacuandum erat, per alvum ex parte excernatur. Diarrhœa ab initio utplurimum noxia. Diarrhœa imprimis mala eſt in morbo mere inflammatorio, etiam in complicatione bilioſa mature nimis accedens nocere poteſt, quia impuritates bilioſæ etiam coctionem requirunt.

Si

Si abſceſſus pone aures, ſub axillis, in inguinibus apparet, ſemper bonum, dummodo naturæ vires non deficiant; ſi urina ceteris circumſtantiis reſpondet, ſemper bonum eſt, ita & ſi nubecula & ſedimentum copioſum in urina apparent die undecimo aut decimo quarto.

Suppuratio mox cito, mox ſero accidit. Pleuritis magna ſibi relicta die undecimo ſuppurare poteſt. Pleuritidi leviori lentius decurrenti ſuppurationis ſigna die primum decimo quarto accedere poſſunt, hinc venæſectio ſero convenire & tum multum juvare poteſt.

Si morbus in peripneumoniam tranſit, & æger viribus ſufficientibus gaudet, exſpuere poteſt, animo præſens eſt, pulſus ſatis validus, tamen ſanationem ſperare licet.

§. XIV.

In *Cura* eo reſpiciendum eſt:

1. Ut ſanguinis ebullitio, plethora, & diſpoſitio inflammatoria tollantur, tenſio & ſolidorum rigiditas minuatur, quod fit per ſanguinis miſſiones, temperantia, potum tenuem, diluentem, relaxantem.

2. Ut humorum congeſtio & ſtagnatio tollatur, & reſolutio fiat, quo præter dicta remedia, externa emollientia & diſcutientia, interna reſolventia, clyſteres & juſte adminiſtrata alia evacuantia conferunt.

3. Ut causæ accedentes aliæ, quæ morbum forte augent, remediis debitis & convenientibus tollantur.

§. XV.

Venæsectio fiat statim ab initio, etiamsi pulsus parvus sit, dummodo sanguis non deficiat, ad uncias XII--XVIII. Sanguinis missio vero imprimis indicatur per pulsum durum, dolorem vehementem, difficilem respirationem cum viribus bonis & deficientibus colluviei & diathesis putridæ signis. In homine robusto, nullo viscerum vitio laborante sanguis fluat ad doloris cessationem usque, quam æger interrogatus indicat, & profunda inspiratione experitur; quamprimum dolor multum remittit, & respiratio libera est, vena comprimatur; non opus est ad animi deliquium usque sanguinem fluere; interim apertura venæ sit magna, etiamsi ægri animo delinquantur. Venæsectio prima fiat in latere brachii affecti, si repeti debet, in altero brachio fieri potest. Sanguis missus semper exploretur, si crustam habet inflammatoriam copiosam, venæsectio non sine usu erit, & utplurimum repetenda est, si crusta pauca apparet, sanguis vero ceterum bonæ notæ est, sanguinis missio quoque juvabit. Si vero crusta nulla adest, cautus sis in repetenda venæsectione, sæpe enim tunc colluvies biliosa aut putrida diathesis

juncta

juncta eſt. Interim non raro indicantia venæſectionis manifeſta adſunt, & cruſtam inflammatoriam ex variis ſignis exſpectare licet, in ſanguine vero miſſo cruſta deficit non infauſto ſigno, dummodo ſanguis probe coaguletur. Generaliter in repetitione venæſectionis non nimis ad cruſtam inflammatoriam reſpiciendum eſt. In pleuritide æſtiva, vernali & autumnali ſæpius deficit cruſta ſuper ſanguinem. Ex ſpuma ſuper ſanguinem denſa & per ſanguinis ſubſtantiam diffuſa ad inflammationem pulmonum junctam, ex ſpumæ defectu ad pleuritidem ſolitariam concludere ſolent.

Quoad repetitionem venæſectionis notentur ſequentia: Quandoque dolor poſt primam imminutus de novo iterum increſcit, reſpiratio fit difficilior, æger conqueritur pejus ſe habere, quam antea; tunc, ſi ſanguis cruſta obductus fuit, in brachio oppoſito mittantur unciae X ad XII.; ſi conſtitutio ante morbum plane ſana fuit, tantum mittatur, donec dolor plane ceſſaverit. Fieri poteſt, ut in ſequenti exacerbatione dolor iterum augeatur, tunc ad morbi vehementiam reſpiciendum eſt; ſi æger dolores tantum ſentit ſub profunda inſpiratione, non autem, ſi leviter tantum reſpirat, venæſectio non repetatur, ita &, ſi æger facile exſpuit, & ſputum ſigna coctionis habet, tunc cetera remedia, temperantia, imprimis veſicatorium parti affectæ applicatum juvabit.

Sca-

Scarificationes etiam lateris & hirudinum applicationem pro topica ſanguinis miſſione Quidam commendant, ſed vix aliquid, & niſi venæſectio ſatis larga præceſſerit, nil juvant.

§. XVI.

Statim ab initio *potus* præſcribatur *tenuis*, decoctum avenæ, hordei excorticati & ſimilia cum *oxymelle ſimplici tenuiori*, id eſt, ex quatuor partibus aceti boni & parte mellis deſpumati unica mixo, etiam infuſum theiforme ex rad. alth. ſarſar. liquirit. herb. malv. tuſſilag. ſiliq. dulc. caric. ping. propinari poteſt.

§. XVII.

Medicamenta interne danda ſunt *temperantia* imprimis nitrum ad drachmas duas, tres & plures de die pro vehementia morbi & imprimis diatheſis inflammatoriæ. Huic ſalia media leniter purgantia, mirab. Glaub. ſedlic. &c. leniori doſi jungi poſſunt, ſi alvus tarda movenda eſt, non tamen ſine indicatione inteſtina ſtimulentur. Acida vegetabilia, ſuccus citri, & acetum imprimis his addi poſſunt, vel ſyrupi ex his & fructibus horræis præparati.

Ad reſolventia hic etiam pertinet *camphora*, cui ſæpe locus eſt in pleuritide vera, imprimis ſi primæ viæ

puræ

puræ sunt, diathesis sanguinis inflammatoria magna, visceraque cetera illæsa. Non vero dari debet, antequam plethora imminuta & alvus forte obstructa soluta est, alias enim magis calefacit & congestiones ad superiora auget; optima præbendi methodus est in emulsione ad gr. tria vel quatuor pro dosi omni bihorio vel trihorio repetenda, addita simul nitri justa dosi.

§. XVIII.

Alvus etiam & primæ viæ observandæ sunt; alvus in hoc morbo utplurimum tarda est & obstructa esse solet. Si ægri ante morbum cibum tenuem vegetabilem sumserunt, neque copiosum, neque ventriculum lædentem aut gravantem, alvus naturæ relinquatur, imprimis si cephalalgia abest, abdomen non tumet. Si vero æger ante morbi accessum, ubi appetitus vigere solet, copioso, carnoso, duro cibo ventriculum oboneravit, epigastrium jam tumet flatusque respirationem difficiliorem reddere videntur, alvus etiam jam per diem aut plures obstructa est, clysma mox applicetur emolliens ex rad. alth. sem. lin. contus. fl. cham. &c. addito nitri crudi drachmis aliquot & olei lini aut olivarum uncia, quo alvus cito solvatur. Si clyster non satis juvat, mannæ uncia ℥ - 1. vel salis digestivi una alterave drachma mixturæ temperanti addatur,

sed

ſed ea tantum doſi, qua ſcybalis emolliendis opus eſt.

§. XIX.

Externe varia applicari poſſunt remedia, quæ non ſine magno uſu eſſe ſolent, nempe

Fomenta ex decoct. ſem. lin. herb. malv. rad. alth. in aqua vel lacte, vel ex ſaponis venet. ſolutione in aquæ & lactis aa., quibus linteum complicatum vel, quo calor & humiditas diutius conſervetur, flanella humectatur & paululum expreſſa dolenti loco imponitur, alioque linteo calido tegitur, &, ſi frigefactum fuerit fomentum, de novo calefiat.

Sacculus etiam ex ſupradictis herbis fieri & in lacte vel aqua coqui, leviter exprimi & dein calide poteſt applicari, vel & veſica lacte calido turgida ſuperimponi; ſed hæc utplurimum nimis gravant, anxietatem & dyſpnœam augere videntur.

Emplaſtra & *unguenta* ex emollientibus & reſolventibus utplurimum majoris, quam fomenta, uſus ſunt. Illa præſtant noctu vel quando unguenta ob varias cauſas applicari nequeunt, & ſunt Empl. de melilot. hyoſciam. diach. ſimpl. &c. Unguenta ex ol. lin. rec. amygd. ung. alth. hyoſciam. &c. cum camphoræ ʒ. I. ad linimenti unciam fiant, & parum calefacta dolenti lateri diligenti frictione vel & ope flanellæ aut

lintei

lintei applicentur; utplurimum imprimis venæsectione justa prægressa dolores inde valde imminuntur & respiratio facilior fit. Multi etiam non sine fructu spir. sal. ammon. cum oleo amygd. in linimentum sic dictum volatile mixtum adhibent. Non minus etiam hic laudari merentur unguenta mercurialia, uti neapolitanum, cujus in inflammationibus viscerum usus in India occidentali primum innotuit & inde Europæis cognitus & his experientia comprobatus est.

Vesicatoria sæpius etiam in pleuritide juvant, & quidem loco dolenti tam diu applicata, donec in vesicam epidermidem attollant; vel etiam, si inde stimulum nimium metuimus, cum emplastro melilot. hyosc. &c. ad dimidiam vel tertiam partem mixta, aut & vesicatorium commune per horæ unius circiter spatium impositum, ita ut leviter tantum rubefaciat, vel & ubi spasmo tollendo locus est, bina suris applicantur. Vesicatoria vero imprimis tunc adhibenda sunt, & maxime juvant, quando, plethora sufficienti sanguinis missione imminuta, dolor lateris non plane sublatus est, sed sub inspiratione profunda & tussi adhuc percipitur, & si simul pulsus adhuc durus est, & sputum non satis liberum, tunc post vesicatorium applicatum respiratio & expectoratio facilitantur, pulsus fit mollior & dolor plane aufugit, imprimis si camphora cum

nitro simul interne præbeantur. Ita quidem si vesicatoria rite adhibeantur, usus linctuum sic dictorum pectoralium facile abesse potest.

Remedia dicta in morbo simplici non valde gravi, & cui medicus mox ab initio accedit, omnem curam absolvunt. Non raro vero status gravior est, morbus mala diæta, regimine, curatione iniqua, affectu, neglectione justorum remediorum vel similibus increscit, plura accedunt symptomata, quæ nova requirunt remedia.

§. XXI.

Expectoratio, quæ in morbo nostro magnam utplurimum curationis partem absolvit, & cum ea conjuncta *tussis* imprimis attentionem medici merentur.

Sputum nempe quandoque supprimitur a refrigerio, potu frigido, animi affectu, medicamentis calefacientibus & quibuscunque, quæ novam inflammationem causantur. Hinc pro variis circumstantiis varie medendum est.

Si inflammatio nova accessit, pulsus magnus durus est, ægri vires constant, tunc venæsectioni locus est, simulque interne infusum pectorale calidum magna copia hauriatur; si status gravior est, & suffocatio metuitur, vesicatoria suris vel & lene vesicatorium lateri dolenti applicetur. Si respiratio fit stertorosa, pulsus

fit

ſit debilis, kermes minerale ad gr. I. vel flor. benzoes ad gr. III. omni bihorio propinantur.

Quando ſputa cocta ſunt & bene ſuccedunt, ſufficit ægrum ſufficientem potum ſumere acido - dulcem; hic etiam ſi ægri tuſſientes dolorem adhuc ſentiant, tamen venæſectione non amplius opus eſt. Dolores pectoris ſenſim evaneſcunt per ſputorum rejectionem, ſedimentum in urina & diaphoreſin.

Si æger vehementer *tuſſit*, & ſputum non ſatis liberum eſt, febris vero ceſſat, vel valde imminuta eſt, tunc expectoratio promoveatur per oxymel ſquilliticum ad unciam unam de die, vel & hoc non ſufficiente gummi ammoniacum ad ſcrupulum in aceti ſquillitici drachmis quatuor vel quinque ſolutum, addito ſyrupo pectorali propinetur. Vinum antimoniatum Huxham. ad gutt. XV. pro doſi vel antimoniale medicamentum aliud etiam ſæpe juvat, reſolvendo, diaphoreſin & ſputum promovendo & utiliter mixturæ tali pectorali jungi poteſt. Tuſſis vehementia nullo vero modo requirit opiata, a Cl. HAEN & aliis laudata.

Purgantia caute in hoc morbo adhibeantur, & non niſi ex juſta indicatione; ſi æger probe exſpuit, etiamſi ſaburra in primis viis adſit, tamen præſtat clyſteribus leniter purgantibus uti, ne ſputum ſupprima-

tur. Si neceſſitas urget, lene ex manna & ſale medio purgans præbeatur; abſint rhabarbarina, quæ calorem & ſanguinis ebullitionem augent, & congeſtionem ad pectus cauſantur. *Vomitorio* locus eſſe poteſt, ſi dolor punctorius plane abeſt, linguæ ſordes mobiles ſunt, ſputa minuuntur & morbus in decremento eſt, ſed cautus ſis in ejus adminiſtratione.

§. XXII.

Morbo jam declinante quandoque ſubito ſtatus ita mutatur, ut æger proximis momentis ſuffocari videatur, reſpiratio nempe ſtertoroſa, maxime difficilis eſt, anxietas ſimul & inquietudo ægri mortem inſtantem præſagire videntur; hic ſtatus videtur oriri ex congeſtione ſputi nimis copioſi ad pulmones. Si vires adhuc perſtant, æger erectus ſedere & linguam exſerere poteſt, extremitates nondum frigent, pulſus nondum nimis parvus & debilis, neque facies hippocratica adeſt, tum veſicatorium cervici & duo ſuris applicentur, & mox vomitorium propinetur ea doſi, ut ſtatim operetur, etiamſi aliqualiter juſto fortius agat, cito enim hic juvandum eſt, ne pectus ſputo opprimatur.

Ab hoc ſtatu vero probe diſtinguenda eſt illa morbi mutatio, quando ex Pleuritide fit Pleuroperipneumonia, tunc reſpiratio fit difficilior, æger vertiginoſus

&

& valde anxius fit, quasi ex pondere gravi pectori superimposito; Vires maxime minuuntur, interim æger tamen mentis compos & de vita sollicitus est. Hic tamen sæpe juvatur, si æger non nimis debilitatus est a prægressis evacuationibus, nimia venæsectione, diarrhœa continua &c., in brachio nempe vena secetur, & eo largius, quo magis pectus obsidetur, simul vesicatoria quatuor ad suras & brachia, & quintum cervici applicentur, dummodo corpus non sit nimis macilentum. Dein vapor aceti & infusi florum sambuci attrahatur, sumantur nempe infusi flor. samb. concentrati partes duæ vel tres & oxymellis simplicis tenuioris pars una; liquido hoc calefacto spongia madefiat & leniter exprimatur, tunc ori ægri per minutum temporis omni semihora, dein per plura minuta, per 1/8 vel 1/4 horæ partem admoveatur, ita ut æger aërem per spongiam attrahat, inde utplurimum mox valde levatur, & liberius respirat & exspuit. Simul infusum theiforme vel decoct. aven. hord. cum oxymelle simplici sumatur & emulsio cum camphora & nitro supra jam laudata propinetur.

Si vero in eo statu, quando pleuritis transit in peripneumoniam, æger difficulter respirat & tussit, nil vero exspuit, facies pallida aut livida & tumida est, æger sponte situm suum non mutat, neque se in lecto

erigere

erigere poteſt, nil metuit, ſed de valetudine interrogatus, ſe bene valere, reſpondet, tunc mors in propinquo eſt.

§. XXIII.

Curationi finis imponitur per decoctum corticis peruviani, ut pulmonum vires reſtituantur, & ſi adhuc ſputum protrahitur, per uſum feri lactis, quod pituitam per urinam & alvum evacuat; cujus loco etiam aqua ſelterana vel alia mineralis mitior per tres hebdomades adhiberi poteſt, initio quidem ſine lacte, ut eo magis per alvum ducat, dein cum lacte miſceatur, quo magis nutriat.

TIFFEN Gray Scale

© The Tiffen Company, 2007

R G B W G K C Y M

A 1 2 3 4 5 6 M 8 9 10 11 12 13 14 15 B 17 18 19

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8

Centimeters 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

TIFFEN Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2007

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black